

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

XXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

eos divideretur nihilominus benevole suos terminos extendere permiserunt. Nunc igitur ut replicem, per crepidinem montis a diruto Castro *Wisenege* usque ad magnam vallem, in cuius extremo S. Margaritæ silvacensis Monasterium situm est planitie per medium divisa certi termini utrinque designantur. Domino Episcopo pro autoritate a Domino sibi concessa confirmante, & ne ulterius mutaretur contradicente. Christo vero regnante, & ad latitudines regni cœlestis nos vocante, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.



XXVII.

EXCERPTA EX EPISCOPI SPIRENSIS CHARTA SUPER ECCLESIAM BACKNANG.


A N N O M C X X I I .

Ex Befoldi Thesauro praef. in voce Baden p. 73.

Ego Bruno Episcopus iustis petitionibus votisque piis & divina inspiratione conceptis desideriiis *Hermanni Marchionis* annuens concessi, ut in Ecclesia S. Pancratii Martyris instructa quam ipse & uxor eius *Juditha*, ipsiusque parentes prædiis & decimis ditaverunt, paupe-

Nota. Charta hæc non amplius extat in Tabulario Episcopatus Spirensis.

res Christi canonicos, secundum regulam B. Augustini, communem vitam ducentes collocaret &c. Anno Dominicæ incarnationis MCXXII. Indiçt. XV. XIII. Kal. Martij.



XXVIII.

CALIXTI II. PAPÆ LITERÆ AD ABBATEM MONASTERII GOTTESAUGIÆ.

A N N O M C X X I I.

Ex autographo Archivi Bada-Badenfis.

Calixtus Episcopus fervus fervorum Dei, dilecto filio Burchardo Abbati Monasterii S. Mariæ, quod in Spirensi Parochia, in loco qui *Godesawa* (a) dicitur, situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Officii nostri nos hortatur auctoritas pro Ecclesiæ statu satagere, & quæ recta statuta sunt stabilire. Siquidem illustri Vir *Bertholdus*, Comes de *Hohenberg* beatæ Mariæ Monasterium, cui dilecte in Christo filii præsides, in prædio suo, in loco, qui *Godesawa* dicitur, propriis constructum sumtibus beato Petro ejusque Roma-

(a) De Monasterio Godesauua vid. SPANGENBERG in *Chron. Hennebergensi*, Cap. 24. qui foundationem ponit ad A. 1010. TRITHEMIUS in *Chron. Hirsang.* Tom. I. pag. 270. (Edit. S. Galli 1690.) ponit ad 1110.